

- 66 *Ita & historia Agar, & Ismaelis Genesi 21 ad favorem puellae expositae explicatur.*
- 67 *Ad baptismum infantis valide administrandum nullius consensus requiritur.*
- 68 *Sed sufficit consensus Ecclesiae.*
- 69 *Filiis infantibus Infidelium à Parentibus derelictis, dandus est Tutor Christianus, & hic dandus est ab Ecclesia, pro ut dedit Sperellus, & Universalis Inquisitio approbavit.*
- 70 *Illud Pauli ad Corinthios cap. 5. de his, qui foris sunt nihil ad nos, intelligitur de Adultis, & de existentibus sub patria potestate.*
- 71 *Textus in cap. Majores de baptismo intelligitur de Adultis.*
- 72 *In Adultis, ut baptizentur, requiritur Fides, & Charitas.*
- 73 *Puella non redibit ad Parentes infideles, si bene de veritate Christianae Fidei instruat.*
- 74 *Propter timorem scandali possibilis remotè non est omittenda baptismi administratio, maxime si verissimilis, & prudenter existimetur non subsequiturum.*
- 75 *Qualiter Puella sit derelinquenda divinae providentiae.*
- 76 *Expenditur Consilium 4. Martini Navaræ de conversione infidelium, contra quod fuit sententiatum, & de mandato Gregorii XIII. eo non obstante puer baptizatus est.*
- 77 *Pater negligens curam filii furiosi meretur exhiberi, & puniri.*
- 65 *Rediisse quarta die, & recognovisse filiam in suam.*
- 54 *Eliduntur exceptiones in facto, & in Jure.*
- 55 *Denegando alimenta puellae infanti, se non Patrem ostendit, pro ut argumentatus est Salomon in cap. Afferte de Praesumpt.*
- 56 *Natura providit de alimentis infantibus, generando lac in uberibus matris, ac propterea non poterat allegari necessitas victus.*
- 57 *Sola necessitas extrema est, quae non habet legem.*
- 58 *Vt Pater exponat filium sine culpa, requiritur, quod non possit alienam opem implorare.*
- 59 *Exponens infantem, debet uti omni cautione ne pereat.*
- 60 *Rediens in termino decem dierum, & agnoscens expositam in suam, debet sponte redire, nec redit ad pristina Jura, si ipse volens, & sciens exposuit.*
- 61 *Alias redit ad pristina Jura sibi onerosa, non verò quo ad favorabilia.*
- 62 *Puella exposita tamquam de numero miserabilium personarum cadit sub protectione Sanctae piissimae Matris Ecclesiae.*
- 63 *Non recidit in potestatem Sinagoga Hebraeorum.*
- 64 *Si aliquod Jus adquisisset, primus colligens puellam expositam, fuit mulier Christiana.*
- 65 *Historia Exodi c. 2. de Moysi exposito dirigitur ad favorem puellae expositae.*

ARTICULUS XXXI.

De Negligentia Parentum in Filios.

Plus negligentiae, quam malitiae solet regulariter contingere in suffocatione infantulorum in lecto detentorum à Matribus, vel Nutricibus, quae negligentia, sicuti omnino non vacat à culpa, ita neque debet omnino vacare à poena, ut est *tex. in c. de Infantibus de iis qui fil. occid.*, & *in cap. quæsitum de poenit.*, & *remiss.*, c. *consulisti* 2. q. 5., nam qui ex negligentia suffocant filios homicidae sunt, licet mitiori poena plectendi, quam si positiva voluntate occidissent, c. *eos verò dist.* 50.

2 Hinc est, quod ad tollendam (quantum

fieri potest) hanc negligentiam, solent Ordinarii locorum in suis Synodis inter ceteros casus reservatos, hanc pariter reservare, nempe suffocationem Infantium in lecto detentorum, in aliis dicecesibus reservatur detentio infantium in lecto intra annum, quommodò videtur cautius provisum, dum periculum totum stat in ipsa detentione in lecto.

3 Negligentia igitur in hoc casu consistit in eo, quod Mater, vel Nutrix, vel alia persona detineat in lecto tempore obdormitionis infantulos, nec sufficienter praecavet periculo suffocationis, quod praevidet, aut praevidere, & praecavere tenetur,

- tur, cum id ad suum munus spectet, jacere enim in eodem lecto cum infante, non caret culpa, cum res periculosa sit, nec dormiens est sui dominus, ut bene observat *Henriquez in summa lib. 14. de irreg. c. 15. ad finem*, *Paul. Comit. respons. moral. l. 4. c. 12.*, & habetur in *consulisti supra* 2. *quest. 5.*
- 4 Nec relevat à culpa Matrem, aut Nutricem, seu alienum sic tenentem infantem in lecto, & suffocantem, si eis graviter displiceat pueruli suffocati mors, doleant, & incessabilibus lacrimis implacabiliter cuncta repleant ejulatibus, nam hoc tamquam subsequens negligentiae, non tollit, quin fuerint negligentes, ut observat *Card. de Turrecrem. in dicto c. consulisti num. 3. vers. secunda pars haec est*, nam, & *Cocodrillus fera pessima*, postquam occiderit hominem, lacrimas super eum emittere fertur, & possunt quidem de negligentia dolere, sed non tollere, quin fuerint negligentes.
- 5 Alia ad dicta sequitur obligatio, quae incumbit parochis, admonendi scilicet predictos tenentes in lecto infantulos cum periculo suffocationis, ut est *tex. in d. c. consulisti* 2. q. 4., & *Mazzucbellus in appendice ad tract. de casibus reservatis*, agens de excommunicatione.
- 6 Parentes igitur, vel Nutrices, qui ex negligentia suffocant infantulos non puniuntur poena ordinaria Paricidii, sed mitiori, & extraordinaria, quia poena ordinaria intrat solum, quando dolo suffocant, ad tradita per *Farinac. praxi Crim. q. 120. nu. 178. 179.*, ubi quod pro foro conscientiae iniungitur eis septem, vel quinque annorum poena, vel etiam tantum trium pro modo culpae, *glos. in cap. fin. de iis, qui filios occid.*, *Decian. tract. Criminal. l. 9. c. 8. num. 20.*, & *c. 16. nu. 31.*, sed tamen praesumitur potius culpa, & negligentia, quam dolus ad trad. per *Farinac. d. num. 179.*
- 7 Quando autem pater, vel Nutritius suffocaret filium sic in lecto tentum dum dormit, an fiat irregularis plures distinguendi sunt casus, primus si negligentia sit studiosa, tunc certò Pater, vel Nutritius suffocans filium dormiendo evadit irregularis, ut est *tex. de Sacerdotibus Graecis in c. quæsitum de poenitentis, & remissionibus*, quando autem negligentia dicatur studiosa?

Respondeo, quod est ea, quae ex lata culpa provenit, & ex ignorantia crassa, quam explicat *Sanchez de matrimonio lib. 9. d. 28. num. 32.*, nam ignorantia crassa habetur pro culpa, neque excusat à poena immò habetur pro scientia ad tradita per *Cavalerium decis. 198. num. 4.*

8 Secundus casus, quando tenens infantulum in lecto, tantam non adhibet cautionem, ut nulla verisimilis ratio periculi superfit, quia ubi superesset periculum, tunc detentio infantuli in lecto est opus illicitum, quia periculosum, & si sequatur homicidium, quod est casuale, semper incurrit irregularitatem, quia dum vult illud opus sic periculosum, censetur etiam velle effectum, qui ex eo sequitur *S. Antoninus summa part. 3. tit. 9. c. 2. nu. 4.*, *Sylvester summa V. homicidium 2. num. 5.*, *Alphonsus à Castro de potestate legis poenalis lib. 2. c. 14. Vers. Nec refert*, *Cajetan. 2. 2. q. 64. artic. 8.*, *Navara Manual. c. 27. num. 235. Vers. Vigesimo secundo*; *Sot. de Just. & Jure lib. 5. q. 1. art. 9.*, *Sayr. de Censuris lib. 7. c. 6. nu. 17. 18.*, *Barbosa in c. Esau. num. 4. dist. 86.*, *Suarez de Censur. disp. 45. sec. 5. nu. 4.*, *Bellet. disquis. Clerical. p. 2. rubr. de poenis Clericorum §. 19. num. 5.*, *Fagnan. in c. si constituerit num. 39. de accusat.*

9 Tertius sit Casus, quando Parentes, aut Nutritius, tantam adhiberent cautionem, ut consideratis omnibus circumstantiis, nullum esset periculum, vel saltem verisimiliter prudens existimare posset, nullum superesse periculum suffocationis, sed casu omnino innopinato contingit suffocatio, tunc nullam incurrerent irregularitatem, eo quia tunc, nec dabant operam rei illicitae, nec fuerunt negligentes; undè nullatenus fuit culpabilis suffocatio, neque merentur poenam ad *tex. in c. Dilectus filius de homicidio*, & post allegatos Doctores notat *Barbosa in c. quæsitum num. 4. de poenit.*; Nam ad effectum ut dormiens dicatur delinquere praerequiritur aliqua voluntaria negligentia ad tradita per *Menochium de Arbitr. Judicium c. 327. num. 3.*, & *4.*, in dubio autem an puer naturaliter obierit, vel an Pater, aut Mater suffocaverint, absque culpa omnino non sunt. *Barbosa in c. de infantibus, & languidis expositis.*

10 Negligentia verò Parentum in alendis filiis

liis etiam graviter culpabilis est, hinc est, quod onus Matris est alere filium usque ad triennium, quia in ea tenella ætate, potius filius indiget matris solatio, quam Paterno, ut lac sugerat de mamillis, post triennium verò onus sit Patris, *l. final. C. de patria Potest. c. 2. de convers. infidel. l. si quis à liberis ff. de liber. agnosce.*, & hæc alimenta, si agatur de filiis legitimis, non solum præstanda sunt secundum indigentiam, & necessitatem victus præcisè, sed etiam secundum familiæ dignitatem, gradum, & nobilitatem, qua dignitate attempta, adhuc condigna alimenta dicuntur necessaria, juxta *tex. in l. cum in plures 13. §. fin. ff. de admin. tut. l. sed & si quid. 19. §. si sufficienter ff. usufruct.*, Garzias de *expens. c. 3. nu. 37.*, Petrus Barboza in *l. 1. p. 4. num. 60. Vers. iis ita explicatis ff. solut. matrim.*, Covarr. de *Sponsal. p. 2. c. 8. §. 6. nu. 8.*, & *variarum resolut. lib. 2. c. 1. nu. 22.*

11 Nec possunt negligere filios naturales, aut spurios, quibus saltem de æquitate canonica præstanda sunt alimenta necessaria ad vitam conservandam, *cap. cum haberent de eo, qui duxit in matrim. quam pol.*, ubi *n. 4.* Barboza innumeros penè allegat. D. D. de hoc tractantes, ubi *num. 6.*, quod hæc obligatio alendi filios spurios comprehendit Clericos, etiam ex redivitibus beneficii; Azor. *Inst. moral. p. 2. l. 2. c. 4. q. 20. Vers. Si roges*, & *c. 40. q. 7.* Sic, & Clerici filiam spuriam tenentur dotare ex redivitibus beneficii, non tamen ditare, *Leonicil. de privil. pauper. privil. 378. nu. 9. 10.*, & *11.*, ubi *num. 12.*, etiam si filia sit incestuosa, *Pigant ad Statut. Ferrariae p. 2. rub. 139. n. 46.*, item Barboza supra *nu. 8.*, quod Parentes non solum tenentur alere filios spurios, sed & Nepotes, & descendentes ab illis, ubi *num. 10.*, quod Pater tenetur dotare filiam spuriam. *Leonicil. de privil. pauper. privil. 161. num. 1.*, Fagnan. in *c. quoniam nu. 7. de Magistris.*

12 Limita tamen prædicta, si Spurius devenierit ad eam ætatem, ut possint arte, vel labore sibi victum querere, quia tunc cessat Patris obligatio, nec amplius negligens culpabiliter est, potest enim tunc dicere filio, qui non laborat non manducat, Barboza supra *nu. 11. Sperell. decis. 138. n. 65.*

13 Limita secundò, quod Pater non teneatur præstare alimenta, neque dotem filio,

& filia spuria secundum statum suum, & dignitatem, sed tantum secundum necessitatem, *Leonicil. dicto Privilegio 378. n. 18.*, *Surd. de alim. tit. 4. q. 18. nu. 49.*, & *50.*, quam sententiam immeritò refellit, Barboza in *dicto c. cum haberet nu. 12.* allegatis hinc inde D. D., ubi *num. 13.*, quod hæc obligatio licet Jure Civili non firmetur, sed tantum Jure Canonico, tamen quia est in naturali æquitate fundata, debet ubique terrarum servari, Barboza tamen in *c. ex litteris de conversione infidelium sub num. 8. ad finem*, videtur à sua sententia recedere.

14 Amplia primò, quod etiam Pater hæreticus, vel infidelis teneatur alere filium fidelem, & catholicum, *l. hæretici C. de hæret.*, *Leonicil. dicto privil. 161. nu. 5.*

15 Amplia secundò, quia si Pater sit pauper, Mater verò dives, hæc etiam tenetur filios post triennium alere, *l. si quis à liberis §. sed utrum §. si Mater ff. de liberis agnosce.*, *Molina de primogen. lib. 1. c. 15. nu. 3.*, ita & in subsidium tenetur Mater alere filios spurios, *Paleoth. de notis*, & *Spuriis c. 48. num. 3.*, Barboza in *dicto c. ex litteris num. 9.*

16 Amplia tertio, quod si unus Parentum sit fidelis, alter infidelis, favore fidei, & ad animæ filii salutem debet ali apud fidelem *c. ex litteris de conversione infidelium*, ita tamen, ut si Mater sit fidelis, Pater verò infidelis, hic teneatur præstare alimenta filio pro posse, ut etiam supra tactum est, Barboza in *dicto c. ex litteris num. 14.*, Sanchez de *matrim. lib. 7. disp. 73. n. 16.*

17 Amplia quarto, quod si contingat divortium inter Maritum, & Uxorem, quod filius sit alendus penes innocentem, idest penes eum, qui culpa sua non dedit causam divortii, ut si pater fuit in culpa filius penes Matrem alatur expensis tamen Patris, ne ex culpa sua commodum reportet, & Mater aliena culpa gravetur, & hoc de Jure novo Authenticorum, ut *ex tex. in Auth. si Pater ubi gloss. in V. Matris C. divortio facto*, quam quæstionem latius examinat, Sanchez de *matrim. lib. 10. disp. 20.*, Gutierrez *Canonic. qq. lib. 1. c. 24. num. 19.*, Petrus Barboza in *Rub. ff. soluto matrim. p. 3. nu. 53.*, & August. Barboza in *dicto c. ex litteris num. 12.* Ubi, quod si culpa Matris factum sit divortium putà, quia

quia adulteravit filius alendus sit penes Patrem, sed expensis Matris si dives sit. 18 Amplia quinto, ut Pater, & Mater divites debeant proprios filios alere, etiam si eos exposuerint hospitali loci in quo excipiuntur tales expositi, vel sint legitimi, vel illegitimi. Omittens enim præstare alimenta hujusmodi infantibus censentur necare, quod impium dicitur *in c. unico de infantibus languidis expositis l. necare 4. ff. de liber. agnosce.*, feræ namque prolem suam non negligunt, *Novar. de elect. fori sec. 2. q. 10. nu. 4.* homo autem inhumanè negligit, *Menoch. de arbit. Judic. c. 396. nu. 1.* nam locus ille est quidem præparatus ad alendos expositos, sed pauperes, non verò præ divitibus, idest quando Parentes sunt divites, undè isti exponentes dupliciter peccant, primò exponendo, secundò denegando alimenta, Sanchez in *Opuscul. lib. 1. c. 5. dub. 4. nu. 13.*, ubi *num. 16.* & *17.*, si Parentes divites exponerent Sobolem ad hospitale ad tegendum delictum, ut adulterium, tunc non peccarent exponendo, quod limitandum est cum *Grassio de casibus reservatis lib. 2. c. 22. num. 13.*, *Novar. de elect. fori sec. 2. q. 10. nu. 7. ad finem*, si exponeretur cum periculo vitæ putà, quia periculum sit quod devoretur à Canibus aliisque feris, vel frigore encentur, vel fame pereant, quia cum ipsi deliquerint non possunt cum periculo innocentis se tegere, tenentur igitur Sobolem alere, quod per alienam manum possunt præstare, mittendo pecuniam ad Hospitale, vel quid simile, *Caietan. V. Adulterium in fine*, *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 19. nu. 3.*, ubi in *commento litterarum* videtur sentire tamquam probabile, neque parentes divites teneri alere expositos ad Hospitale, quia intentio institutoris Hospitalis, & eorum qui dotaverunt, censetur fuisse, & esse, ut alerentur ex datis redivitibus omnes, qui exponerentur absque distinctione divitum, aut pauperum, quæ probabilitas cessabit, si Hospitale non abundet tantis redivitibus, ut sufficiant præ omnibus expositis, tunc divites omninò tenentur alere Sobolem expositam, seu impensas reficere, *Sylvest. V. Adulterium q. 5.*, *Leonicil. de privileg. pauperum p. 1. q. 3. nu. 67.*, Barboza in *c. si à patre nu. 2. de infantibus*, & *languid. expos.*, & *de potestate*

Episcopi alleg. 51. nu. 144.

19 Prædicta militant, ubi sit Hospitale præ recipiendis expositis, at non sic ubi tale Hospitale non est institutum, quia obligatio Parentum nullam habet excusationem. Sed succedit quæstio incidens si Parentes expositi, omninò ignorentur, neque extat Hospitale expositorum, & inveniatur infans expositus ad Ecclesiam, vel ante domum alicujus, quis teneatur expositum alere, maximè dato, quod non inveniatur pietas spontè recipientis, *Abbas in c. si à Patre nu. 3. de infan. expos.*, *Surd. de alim. tit. 1. q. 81. num. 1.*, & post alios Barboza ad *dictum c. si à Patre num. 4.* respondent, quod primò loco tenebitur Ecclesia, tamquam pia Mater miserabilium personarum, undè Episcopus, vel Rectores Ecclesiarum, ut in Villis, tenentur hoc onus subire, nisi aliter sit consuetudo, si verò Ecclesia paupertate præmatur, ut reverà non habeat undè expositum alat, nec sit Hospitale ad id destinatum, tunc expensis communibus Populi inveniendæ est Nutrix, & infans alendus, nisi aliter ferat consuetudo, *Gratian. discept. for. c. 267. num. 9. 10.* pluresque sententias recitat, *Leonicil. dicta p. 1. q. 3. num. 67.*, sed recidunt in prædicta, *Paschal. de patr. potest. p. 2. c. 2. nu. 56. Thesaur. decis. 118.*

19 Pater qui, vel ex nimio dilectionis affectu, vel ex animi pusillanimitate, vel quia ipse vitis deditus, non audeat, sed negligit filios corripere, ita ut filii ad vitia declinent, aut in eis obstinatores indurentur, peccat mortaliter, neque excusatur si alias in se bonus sit, ut de Heli Sacerdote Primo Regum legimus, qui licet in se bonus, tamen, quia filios non corripuit, mortis penam dedit, *c. licet Heli de Simonia*, ubi *Abbas num. 2.*, *Ancharan. num. 1.*, *Jo. Andr. num. 2.*, neque sufficit lenis oburgatio, sed requiritur gravis, & efficax correptio, si Pater culpam evadere exoptat, quod intellige, non solum respectu filiorum, sed etiam respectu totius familiæ, ut Uxor, famulorum *c. duo ista 23. q. 4.*, *l. unica C. de emenda. propinq.*, ac debent etiam pœnitentiis, ac flagris si opus sit, discretè tamen corripere *c. placuit 33. q. 2.*, alioquin si Pater familias nimis indulgeat, & filius, aut Uxor, aut famulus pereat, in die Judicii contra ipsum insurgent